QVÆST. XX.

1 QVæro, tu ſcis, quod in renouatione inueſtitur. quãdoque apponũtur pa
a cta a inſolita. Modo vaſallus dicit, quod pacta, quæ dominus appoſuit, vel vult apponere in inueſtitura, ſint inſolita, vel e conuerſo, nunquã erit illi credendum? Reſp. quod non, ſed alleganti pacta eſſe inſolita incumbit onus id probandi. Ita volunt omnes DoHor. vt dicit Iac. in verbo, Qui quidẽ inueſtiti, num. 65.
2 Sed pone, quod per impreſſionem, vel errorem ſit facta recognitio feudi, aliter quam more ſolito, nunquid talis reco
b gnitio nocebit b poſteris? Reſp quod non. Ita eleganter dicit Bald. in c. 1. §. fin. poſt num. 2. de feudo guar. quem ceteri Doctores ſequuntur, vt ait Iac. in d. verbo, Qui quidem inueſtiti nu. 70. in fi. & in verbo, Dicti que vaſalli, nu. 13. dicit, quod illud dictum Bald. ſequuntur omnes poſteriores, & ibid. nu. 21. dicit, quod omnes ſequuntur. Sit tamen cautus vaſallus, vt ſemper accipiat renouationem iuxta formam primæ inueſtitur. quia ſi illa deperderetur, poſſet illa renouatio maximum præiudicinm afferre ſuis deſcendentibus. Prætera intellige hanc concluſionẽ, ut procedat in feudo antiquo ex pacto, et prouidẽtia, in quo vaſall. nõ poteſt præiudicare vocatis ex tenore inueſtituræ, ſed ſi eſſet feudũ, de qno vaſallus poſſet libere diſponere, vtiq; talis recognitio poſteris obeſſet.

ADDITIONES.

a PActa.] Hic non vnum not. verbum in matetia pactorum, videlicet quod pacta non ſunt ſeruanda, vbi inſurgit neceſſitas, quod periculum vertetur publicum propter obſeruantiam pacti, per Bal. conſ. 240. vol 4. & Rolan. in conſ. 1. nu. 172. volu. 2. Giach.

Pacta inſolita.] In ſoli-
1 tum † appellatur illud, q; eſt præter ſimplicem, & communem feudi natura, forte certa ſeruitia, feminarum ſucceſſio, aut ſimilia, titulo ſecundo, §. final. ibique omnes Feudiſtæ, libro ſecundo. F. Sed & intelligitur omne id, qnod iam antea in ipſa promiſſione, aut conceſſione nõ conuenit. Roſenthal. in tractatu totius feud. capit. ſexto concluſ. 25. numero 2. Porro de pactis, quæ feudo aliquid præter eius naturam adijciunt, latius differit D. Bocerus in tract. de inueſtitura feud. capit. quinto, numero 37. & ſequentib. nec non D. Vulteius libro 1. de feud. cap. 7. num. 55. Harpr.

b Poſteris.] Item, quod recognitio feudi facta de bonis contentis in prima, & ſecũda inueſtitura, quę continent liberam donationem, non faciat præiudicium poſteris, quibus ex ipſis inueſtituris erat ius acquiſitum, per Dec. conſil. 498. col. 5. & refert, & ſequitur Rol. conſ. 2. num. 107. Giach.

Nunquid talis recogni-tio nocebit poſteris.] Feu-
2 dorum † mutatio, vel inſolita recognitio an, & quando, & quibus noceat, accuratè poſt alios, quos refert, explicat Roſenthal. dicto tract. feud. cap. 6. concl. 69. Harpr.

QVÆSTIO XXI.

SVMMARIA.

Ex Claro.

1 Vaſallus tenetur dominum adiuuare, & defendare contra omnes.
2 Et quid ſi ſit inhabilis ad pugnam.
3 Et an teneatur preferre ſalutem domini propriæ ſaluti.
4 Et an teneatur illum adiuuare contra proprium patrem, fratrem, vel filium.
5 Es an contra ſeipſum.

Ex Additionibus.

1 An, & quibus caſibus vaſallus dominum in bello adiuuare teneatur.
2 Bene deliberatum, quid dicatur.
3 Num vaſallus ſuis ſumptibus militare ſeruitium domino preſtare cogatur.
4 Ad quid feudum conſtitnatur.
5 Vnuſquiſque id, quod ſpopondit, ſuo impendio præſtare debet.
6 Quundo vaſallns è prællo impune recedere poſſit.
7 Ecquid vaſallus teneatur præferre ſalutem domini propriæ ſaluti.
8 Seruus ſalutem ſuam Domini ſaluti non anteponit.
9 Dominus maius habet ius in ſeruum, quam in vaſallnm.
10 Vaſalli equiparantur libertis.
11 Nunquid vaſallns aduerſu parentes, & liberos iuuare dominum cogatur.
12 Et an contra ſeipſum.
13 Ordiuata charitas incipit a ſeipſo.
14 Nemo præſenti periculo ſe exponere tenetur.
15 Nulli ſemetipſum offendere licet.
16 Nemo membrorum ſuorum dominus.
17 In generali ſermone perſona loquenti non continetur.

QVÆST. XXI.

1 TV ſcis, quoe vaſallus a te-
a netur dominum adiuua-
b re, & defendere contra b omnes, de quo habes text. in cap. 1. quibus mod. feud. amit.

ADDITIONES.

1 VAſallus teutur edominum adiuuare] An † vaſallus dominum in omni bello adiuuare teneatur ambigitur. Et extant in iure feudalis res caſus, quibus vaſallus dominum in omni bello adiuuare debeat. Primus eſt, quando dominus iuſtam fouet cauſam: tũc vaſallus ei abſque omni dubio ſuppetias auxiliares ferre cogitur per textum, in titulo vigeſimooctauo in princip. ibi, ſi ſciatur, quod iuſte, & tit. ſeptimo, verſic. & ſi ſciuerote velle iuſte aliquem offendere, libro 2. F. Secundus caſus eſt, quando dubitatur, vtrum bellum iuſtum, an iniuſtum ſit: & vaſallus domino itidem auxiliari tenetur, dicto titulo 28. in princip. ibi, ſi autem dubitatur. Tunc autem de eo dubitari poteſt, quando dominus in conſilium adhibuit ſuos conſiliarios, qui illi
2 bellum ſuaſerunt. Illud † ſiquidem dicitur bene deliberatum, quod fuit deliberatum à conſilio Seniorum, argum. can. vltim. ibi Seniores prouinciæ congregati, &c. diſtinctione ũo. & can. eſtote 118. in fin. cauſ. 1. quæſtion. prima. Tertius caſus eſt, quãdo cauſa domini notoriè eſt iniuſta. Quo caſu vaſallus dominum adiuuabit ad eius defenſionem: ad offendendum verò alium non adiuuet, ſi vult, vt loquitur Feudiſta in dicto tit. 28. in princ. ibi, ſed cum palam eſt, libro ſecundo, F. Petr. de Ferrar. in form. lib. quo agit ad reuocat. feud. verb. contra. numer. ſexto. Iacobin. de Sancto Georgio, in ſua inueſtit. verb. & promiſerunt, numero octauo. Vvurmbſ. tit. 51. de feud. obſeru. 30. nu. 1. Hartmann. tit. 54. de feud. obſeru. 32. num. 4. Borcholt. in comment. in conſuetud. feud. c. 7. mod. 1. nu. 45. hoſque referens Ioannes Ruding. lib. 1. variar. lect. iur. feud. c. 58. nu. 3. Verum de hoc vltimo caſu uariè, & prolixè, poſt veteres diſputant Ludolphus Schrader. in tractatu feud. part. 6. cap. 6. numer. 26. Sonsbecc. in Commentar. in feud. part. 11. numero vigeſimoſexto. Roſenthal. in tract. iuris feudal. cap. 8. concluſ. 20. Schench. Baro in dicto tit. 28. lib. 2. F. Schneideuuin. in tractat. feud. part. 5. num. 100 Andreas Kohl. in tract. de ſeruit. feud. part. 2. num. 54. cum ſeqq. Harprec.

b Contra omnes.] Hic inſurgit pulchertima quæſtio: Vaſallus promiſit domino ſuo dare unum militem tempore guerræ: modo contingit otiti guerram inter dominum, & ſe uaſallum: an teneatur præſtare militem? quod non, uide per Iac. in ſuir quæſtio feudalib. q. 29. poſt Bald. in l. 1. ff. de rerum diuiſ. Quia haud uidetur promiſiſſe contra ſemetipſum. Idẽ de ex, qui promiſiſſet domino ſuo dare caſtrum fulcitũ, & munitum tempore guerræ, & orta eſſet guerrá inter ipſum dominum, & vaſallum: quia non videtur promiſiſſe contra ſeipſum, nec contra ſuos, quorum iniuriam poſſet propulſare, nec contra propriam patriam, vide ibidem. Inſurgit etiã altera; Dominus eſt excommunicatus, vtrum vaſalli (durante excommunicatione) teneantnr parere ipſi domino? quod non, decidit ipſe Iac. vbi ſupra, 10. quæſt. num. 20. per tex. quem dicit valde not. in c. domino guerram, tit. hic finitur lex, & incip. conſuet. Regni. Giach.

c Quæro, nunqid teneatur, vaſallus id facere ſuis proprijs ſũptibus? Reſp. q; ſic; niſi tamen de proprio impotẽs eßet. Ita communiter concluditur, vt dicit Alexnd. in l. recuſare, §. ſi quis alio, num. 10. ff. ad Trebell. Nam reguraliter qui eſt obligatus ad aliquid faciẽdum, tenetur id facere ſuis ſumptibus.

2 Item quæro, an vaſallus in
d habilis ad pugnandum, puta, quia habet brachia abſciſſa, teneatur adiuuare dominum, & ſi aufugerit ex prælio, ſit feudo priuandus? Reſpõ. quod nõ. Ita tenet gl. in d. c. 1. in gl. 1. quib. mod. feud. amit. quam dicit eße cõmuniter approbatam Iac. in verbo, & promiſerunt, poſt num. 18. verſ. Quartus eſt caſus. Et illã ſequi communiter Doct. atteſtatur Cur. iun. de feud. in 4. part. in 1. cauſa amiſſionis feud. verſ. VI. circa prædicta; quem refert Ioã. Iacob. de Leon. inter conſ. feudal. Brun. conſ. 117. nu. 199. Nemini enim eſt imputandũ, quod nõ faciat id, quod facere non poteſt.

3 Sed quæro, nunquid e debet vaſallus, vt adiuuet dominum præponere ſalutẽ ipſius domini ſaluti ſuæ propriæ? Reſpod. quod non. Ita tenet gl. in d. c. 1. in glo. 1. in fin. Et licet glo. in l. 1. §. eodem autem tecto. ff. ad Sylla. per illũ text. qui loquitur de ſeruis, arguat contra vaſallos, vt teneatur ſalutem dominorũ propriæ ſaluti antepo nere: tamẽ iila gl. eſt cõmuniter reprobata, vt dicit Paris Puteus de duello, libr. 5. q. 12. poſt num. 2. Et hanc opin. dicit eße communem Epiſcopus Loazes in allegatio. pro Marchione Velez, fol. 174. nu 35. Nihil enim cuiq. vita ſua charius eſſe debet, ſi loquamur ſecundũ carnẽ, licet ſecundum ſpiritum aliud ſit.

4 Sed nunquid f tenebitur va-
f ſallus adiuuare dominum, etiam contra proprium patrẽ, vel filium, vel fratrem ipſius vaſalli? Reſp. quod ſic. Et de hoc eſt text. expreſſus in §. in titulo, hic finitur lex. & eſt cõmunis opin. vt ait Zaſ. de feu. in 7. parte, c. 4. n. 10. quem refert Io. Iacob. de Leon. in dict. conſ. 117. num. 9.

5 Sed an tenebitur g illum
g adiuuare etiam cõtra ſeipſũ? Reſpond. quod non. Ita tenet gloſs. in d. §. fin. quæ eſt cõmuniter apꝓbata, vt dicit Iac. in d. verbo, & promiſeruut eidem, poſt numer. 13. Semper enim prima charitas incipit à ſeipſo.

Contra omnes.] Non tamen contra ſeipſum, cũ illud non videatur cautum in promiſſione facta domino, per gloſ. in cap. petitio de iure iur. & quæ dicit Cyn. in l. cum acutiſſimi, C. de fideicomm. Pariter non tenebitur iuuare dominum contra filium, proprium, ſecundum Bald. in cap. 1. de no. for. inueſtit. & in l. 123. quæſt. ff. de rerum diuiſ. & in l. 1. §. ne autem, C. de cad. tol. vide Euerar. in loco de ſeruo ad Mona. num. 11. Gouean.

c Nunquid tenetur vaſallus id facere ſuis proprijs ſumptibus.] Quod va-
3 ſallus non domini, ſed proprijs ſumptibus (ſi lautum, & pingue ſit feudum) militare ſeruitiũ pręſtare domino teneatur, haud ſine ratione, poſt Clarum hic noſtrum, plerique Doctores ſtatuunt. Tum quia ad
4 hoc feudum cõſtitui ſolet, vt pro eo vaſallus domino ſeruiat: indeque ſumptus ad ſeruitia feudalia explicanda ſumat. tit. 23. §. vlti.
5 lib. 2. B. Tum † quia vnuſquiſque id, quod ſpopondit, ſuo impendio præſtare debet, l. quod niſi 20. in princip. ff. de oper. libert. Qua de re videantur Rudinger. d. lib. 1. var. lect. iur. feud. c. 50. Borcholt. in comment. in conſuetud. feud. c. 1. num. 26. Vulteius lib. 1. de feud. cap. 10. nu. 34. Schenck. Baro. d. tit. 28. & 33. lib. 3. F. Andr. Kohl. d. tract. de ſeruit. feud parte 6. num. 3. cum ſequentibus. Roſenthal. d. tract de iur. feu. c. 8. concluſ. 24. D. Collega Bocerus in tract. de iure, & commodo Senioris, ſiue domini, &c. lib. 1. c. 4. nu. 112. & ſeqq. Harpr.

6 d An vaſallus inhabilis ad pugnandum, &c.] Domino † in prælio mortuo, aut lethaliter vnlnerato, vaſallus è prælio impunè recedere poteſt: quoniam domini amplius non intereſt, illi nimirum, vel vita ipſa, vel ipſius ſpe adempta. Et ſatius eſt cum vterque incolumis euadere non poſſit, euadere potius vaſallũ, quam ſine domini commodo perire vtrumque. argum. l. ita vulneratus, 51. in princip. ff. ad legem Aquil. & l. ſi alius, 7. §. eſt & alia, 4. ff. quod vi, aut clam. Iſern. in cap. 1. quibus mod. feud. amitt. & ibidem Franchus numero nono, hoſque referens D. Vulteius libro 1. de feud. cap. 11. num. 9 pag. 717. Sed & vaſallo fraudi eſſe non debet, ſi ſe ſubduxerit, cum adiuuandum dominum in prælio factus eſt inhabilis, puta, abſciſſis ipſo vaſallo brachijs, aut ipſo vulnere graui, aut morbo affecto, vt poſt Clarum noſtrum hic, & alios, latius explanant Vulteius dicto loco, Henricus a Roſenthal. dicto tractatu feud. cap. decimo, concluſione 16. numero 24. & ſequentibus, & Ludolph. Schrader. d. tract. feud. par. 6. c. 6. nu. 82. Harprec.

e Nunquid debet vaſallas, vt adiuuet dominum, præponere
7 ſalutem ipſius domini ſoluti ſuæ propriæ.] Quod vaſallus † ſalutem domini ſui præponere ſaluti propriæ non teneatur, præter Clarum noſtrum, & alios complures, tenent Z. in epitom. feud. parte ſeptima, numero 37. Haneton. libro tertio, de iur. feud. capit. nono. Duaren. de feud. cap. 14. nume. 9. & Roſenthal. dict. capit. 10. concluſ. 16. num. 20. Ne-
8 que obſtat, quod † ſeruus de iute ciuili, quoties domino ſuo auxilium ferre poteſt, non debeat ſaluti eius ſuam anteponere, per textum expreſſum in lege prima. §. iuxta hoc 28. ff. de S. C. Sillan. Nam argumẽtum à ſeruo ad vaſallum hic minimè procedit. Tum
9 quia maius habet dominus ius in ſeruum, quam in vaſallum, §. 1. Inſtitut. de his, qui ſui, vel alien. iur. ſunt.
10 Tum † quia vaſalli liberæ ſunt conditionis, & conferri ſolent cum libertis, qui ſalutem patroni præferre ſaluti propriæ non tenentur, l. hæ demum, 38. ff. de oper. libert. Euerhard. in Topic. legal. loc. à libert. ad vaſall. numero vndecimo, & in loc. à ſeru. ad Monach. numero vndecimo. Hunc vulgo fertur: ſtatuta in ſeruos ad homines liberos nõ pertinere. Duaren. dicto loco, eumque citans Rudinger. dicto libro primo, cap. 37. numero quinto. Harpr.

f Nunquid tenebitur vaſallus adiuuare dominũ etiam contra proprium pa-
11 trem.] Quod † vaſallus etiam aduerſus parentes, & liberos ſuos domino militarem operã præſtare teneatur præter Clarum noſtrum hic & infra in quæſt. 27. num. 2. affirmant Iſernia. Afflict. Laudenſis, Præpoſitus, & cæteri per textum expreſſum in titulo 18. §. vltim. ibi, contra omnes, lib. 2. Borcholt. in commentar. in conſuetud. feud. capit. quarto, numero 24. in fine, & alij, quos commemorat Henricus à Roſenthal. dicto tract. feud. cap. ſeptimo, concluſ. 14. ſub litt. A. At negatiuam ſententiam non ſine ratione, amplectuntur Frideric. Schnench. Baro à Tautenberg. ad d. titul. 28. §. vltim. lib. 2. F. Franciſ. Sonsbecc. in commentar. in vſus feud. part. 11. num. 36. & ſequentib. Iacob. Cuiac. lib. 4. feudor. ad tit. 31. hoſque referens D. Bocerus d. tract. de iure, & commodo ſenioris, libro 1. cap. 4 numer. 75. & ſequentibus, vbi ipſe concludit, negatiuam ſententiam regulariter eſſe veram: Aſt aientem opinionem textu iuris feudorum munitam, in quibuſdam ſolum caſibus ſpecialibus admittendam: puta, ſi parens, aut filius vaſalli patriam ſuam, aut veram Chriſtianam religionem oppugnet, per text. in l. minime, 35. F. de relig. & ſumpt. funer. Eadem de re inſpiciatur, H. tract. feud. cap. 13. pag 369. vbi ſubijcit, quod nec aduetſus vxorem ſuam vaſallus domino opẽ ferre cogatur. Harprec.

g An tenebitur illum adiuuare etiam contra ſeipſum.]
12 Quod vaſallus † oontra ſeipſum iuuare dominũ non teneatur,
13 multiplex ratio dictat. Tum † quia prima, ſiue ordinata charitas incipit à ſeipſo arg l. præſes, 6. ibique gloſſ. Bart. & Doctor. communiter, C. de ſeruitut. & aqu. can. ſi non licet, 8. cauſ. 23. quæſtione 5. & poſt Clarum hic noſtrum, notant Fridericus

Pruc-

Prucchman.conſ.13.num.65.Anton.Vvinter.in ſuo Aſſeſſore.
14 par.1.c.1.nu.41.& ſeqq. Tum quia nemo præſenti ſe periculo exponere cogitur,arg.c.ex parte,47.de appel.& l. ſi pater,34.§.
15 1.ff. de donationib. Tũ quia nulli ſemetipſum offendere licet,
16 can.de occiden.7.& trib.ſeqq.cauſ.23.q.5.cũ † nemo mẽbrorũ ſuorũ ſit dominus,l.liber homo,13.in princ.ff.ad leg.Aquil.Tũ
17 etiam quia † in generali ſermone perſona loquentis non continetur, nec videtur conſenſiſſe in his, quæ ſunt contra ſe ipſum, vt tradunt Doct.in l.Paulus,26.§.fin.ff.de pign.& hypoth.& in l.inquiſitio,18.C.de ſolut.Sonsb.d.cõment.in vſus feu.p.11.n.41.Borchol.d.cõment.in cõſuet.feu.c.7.n.41. D.Bocer.d.tract. de iure,& commodo ſenioris,lib.1.c.4.n.52.& ſeqq. *Harpr.*

QVAESTIO XXII.

SVMMARIA.

Ex Claro.

1 *Vaſallus an poſſit, eundo in auxilium domini, liberare ſe à ſolutione dimidij redditus.*

Ex Additionibus.

1 *Vaſallus pro ſeruitio dimidium redditus iſtius anni, in quo ad ſeruiendum vocatus eſt, ex feudo ſoluere pro arbitrio poteſt: vel è contra.*
2 *In alternatiuis plerunque electio eſt debitoris.*
3 *Quo caſu ipſemet vaſallus comparare, vel ſubſtitutum mittere teneatur.*

ADDITIONES.

a CVm domino.] Hic nota vnum not.dictum,quod vaſalli Baronum ſunt ſubiecti Regi, in tantum, quod principaliter tenetur adiuuare Regem,etiam cõtra Baronem dominũ ſuũ, & non Baronẽ contra Regem, ſed bene contra aliũ adiuuare Baronem,per Afflictum deciſio.265. num. 107. ſed nunquid ſi vaſallus vult remittere feudum potius quam ſeruire domino, an dominus teneatur recipere renunciationem? Quod non, quia feudum eſt datũ gratia vtriuſque, vt habetur per eadem deciſione 165. numer. quinquageſimo tertio. *Giach.*

b *Cuius erat electio.*]
2 Si vaſallo non ſit commodum, nec placeat, vel in perſona, vel per ſubſtitutum ſeruire domino: poterit ſoluendo ex feudo dimidium redditus anni iſtius, in quo ad ſeruiendum vocatus fuit, ſeſe liberare: adeò, vt in ipſius electione hoc ſit, etiamſi dominus fortaſſe magis ſeruitium,quam hũc redditum mallet. Sicut & è cõtra ſi dominus redditum petat, vaſallus autem ſeruire mallet: non poteſt dominus eum ad præſtationem redditus compellere,per textum in tit.55. §.firmiter. vbi Andr. de Iſernia num.30. Aluarot.in princ.num.1.Matth.de Afflict. Laudenſis,Rauennas,& Balzaranus,num.14. & alij,lib.2.F. In
2 † alternatiuis enim plerunque debitoris eſt electio, vtrum præſtare velit,non creditoris,l.plerunque,11. §.vltim. ibique gloſſ. ff.de iur. dot.l.ſi emptione,34. §.penult. ff.de contrahent.empt. l.non vtique,3.vbi Iaſon, §.de eo,quod certo loco, c.in alternatiuis,70.ibique Dynus de reg.iuris in 6.Atque ita, poſt Clarum noſtrum,& pleroſque Feudiſtas, ſentiunt Schrader. in tract.feud. par.6. c.6.n. 56. Roſenthal. in tractatu feud.cap.8. concl.23. n.9. cum ſeq. & D. Bocerus in tract. de iur. & commodo ſenioris,lib.1.cap.4.nu.23.
3 & ſeqq. Enimuerò † ſi dominus in magno quodã periculo conſtitutus ſit, nec inde ſe liberare poſſit, niſi ipſemet vaſallus ſuo perſonali ſeruitio ei ſuccurrat: veluti ſi dominus,vel omninò nullum, vel non confeſtim ſtipẽdiarium militem nanciſci queat ea pecunia, quam ex feudi redditibus præſtare vaſallus tenetur: hoc certe caſu ipſemet comparere, vel idoneum Vicarium mittere cogitur,argum.textus in tit.& uerſ. ſed quia,& tit.7. uerſic. & ſi ſciuero, lib.2.feud. Bald.in tit.54. de allodijs,num.21.& ibi Præpoſit.libro 2.F.Iacobin.de Sanct. Georgi.in tract. feud.in uerb.& promiſerunt. Schrader.d part. 2.c.6.nu.56.uerſ.hoc tamen,&c. Roſenthal.dict.capit.octauo, concl.22.num.ult. eoſque referens,D.Bocer.dict.lib.1.capit.4. num.27. *Harpr.*

QVÆST. XXII.

1 VLterius quæro, tu habes text. in cap. Imperialem, §. firmiter, de probib.feu.alien.per Frideric. quòd vaſallus tenetur ire, vel
a mittere cũ domino [a] ad expeditionem bellicam, vel ipſi domino ſubminiſtrare dimidium redditus vnius anni:Modò vaſallus vult ire perſonaliter ad præſtandum auxilium domino:dominus autem potius uellet habere dimidium redditus
b feudi: cuiu: [b] erit electio? Reſpond. quod ſpeſtabit vaſallo. ita dicunt communiter Doctores, vt ait Iac.in verbo,Et promiſerunt,nu.26. quid quid diſtingundo dixeris Iacob. de Belui.in cap. 1.§.fin.de pace iura.firm.vt ibi per eum,

QVÆSTIO XXIII.

SVMMARIA.

Ex Claro.

1 *Vaſallus an teneatur alere dominum egenum.*

Ex Additionibus.

1 *An vaſullus dominum ſuum egenum alere teneatur.*
2 *Liberius cogitur alimenta ſuo patrono ſuppeditare.*
3 *Necare dicitur, qui alimenta denegat.*
4 *Neceſſitatis ſpecies eſt fames.*
5 *Alimenta debentur illi, qui aliquo caſu dominus eſt futurus.*
6 *Vaſallus domino ad ſeruitia præſtanda eſt obligatus.*

ADDITIONES.

a TEneatur alere.] De communi dixi in collecta. mea commun.opin. uerbo,uaſallus,& uide ſupra §.donatio, quæſt. 21. uerſic. ſed quid ergo ſi donatarius,&c. Et de obligationibus uaſalli ad dominum, & è contra,uide per Afflict. in deciſion. 268.297. & in titul.quæ ſint rega. Natt.cõſilio 380.vbi de caſibus, in quibus poſſit Princeps imponere collectam ſubditis, ſeu ab eis auxilium petere, & exigere. Vide etiam per Boſſ. de bon. publ. atque titul. de regalijs. Item nunquid dominus debeat ſuis uaſallis indicere aliquam nouitatem? Quod non,quia noua ſeruitia indebita præſumuntur per uim, & impreſſionem extorta. Ita per Bald.in cap.1. de quo per Iac. in ſuis quæſt.feuda lib. quæſt.ult. *Giach.*

Nunquid vaſallus teneatur alere dominum egenum.] Quod
1 uaſallus dominum ſuum egenum alere teneatur, probabilius, & æquius uidetur. Tum
2 † quia libertus alimenta ſuo patrono ſuppeditare tenetur, l. ſi quis à liberis, 5.§.ſolent iudices, 17. & §§. ſequent.ff.de agnoſcendis,& alendis liber. alioqui in ſeruitutem reuocari poteſt, l. alimenta, 6. ibique Bartol. & alij, ff. eodem tit. Tum quia uaſallus dominũ ſuum incolumem ſeruare aſtrictus eſt, titul. 6. libro 2. Necare autem

QVÆST. XXIII.

1 QVæro, nunquid vaſal-
a lus [a] teneatur alere dominum egenum? Reſpondeo,

3 autem † dicitur, qui alimenta denegat,l.necare,4.ff.de agnoſcend. & alend.liber. Tum quia vaſallus domino ſuo in neceſſitate ſubuenire cogitur, tit.26. §. licet vaſallus, lib. 2. F. Ne-
4 ceſſitatis † vero ſpecies eſt egeſtas,& fames,argum.l.1. C. de oper. libertor.cap.3.ext. de furt.l.2. C.de patrib.qui filios ſuos diſtrax. l. ſancimus, 21. verſ. excepta videlicet,
5 C. de SS. Eccleſ.Tum † etiam quia alimenta debentur illi,qui aliquo caſu dominus eſt futurus, l. 1. §. totiens, 2. verſ. æquius, ff. de vẽtre in poſſeſſ. mittẽd. Atqui dominus feudi, proprietatem prædij feudalis ſibi iure vindicat. tit.23.§.vlt. lib. 2.F. & ipsũ quoque feudum certis caſibus ad dominum redit, puta ſi ei
6 ſit apertũ. Tum † poſtremo quia dominus egenus magis indiget alimentis, quam ſeruitiorum præſtatione. Cum ergo ad præſtanda ſeruitia obligatus ſit vaſallus domino: merito ei, & quidem multo magis, obſtrictus cenſetur etiam ad alimenta præſtanda: cum necare dicatur, qui alimenta denegat. dict.l.4.ff. de agnoſc. & alend.liber. Atque hiſce præcipue rationibus moti,hanc ſententiam,poſt Bartolum hic à Claro citatum, amplectuntur Speculator in §. 1. num.11. qui filij ſint legitimi. Bald.in l. 1. §. ſed ſcimus, nu. 2. C. de Latin. libert. toll. Franciſcus Aretin. in l. ſi quis non, 73. num.1.ff. de acquir.vel omittend.hæred.Iacobin.de S.Georg. in verb. qui quidem inueſtiti,numer.78. Matth. de Afflict.deciſ.Neapolit.265.num.104. Chaſſan. in conſuetud. Burgund. rubr. 3. uerb. le uaſall. eſt tenu. num.20. Nicolaus Euerhard. in Topic. legal.in loc. a liberto ad uaſallum, num.14.Ioan.Baptiſta de Caccialup.in repetit. cap. 1. num.15. de cognit.feud.M.in conſuetud. Pariſ. titul. de mater.feud.§.30. num.145. hoſque referens Ludolphus Schrader. in tract. feud.part.9. cap.8.num. 12.& ſeq. Quorum partes ſequi dubitat nihil D. Collega Bocer. in tract. de iur. & commodo ſenioris,&c. lib. 1.cap.4. nu. 144. & ſeqq. ubi negantis opinionis tutelam ſuſcipientium, maxime uero Henrici à Roſenthal.in tract.feud. cap.8. concluſ. 27. & 28. argumenta dilucide refutat. Negantem quoque tueri ſententiam conantur Rudinger.lib.1.uar.lection.iur.feud.cap.45.num.5. & Paulus Berens diſp. feud.7.th.78. *Harprec.*

b *Bart.*] Adde Spec.in tit.qui filij ſint legiti.§.1. uerſ.ſed nunquid dominus.& Bal.in l.unic.§.ſed ſcimus.C. de lat. lib.tol. Et hoc ad exemplum liberti, qui tenetur patrono egenti præſtare alimenta, quãdo ipſi liberto aliquid ſupereſt,l.1.cũ ibi notat.in gl.C.de ope.liber.uide Euerard.in loc.à liber.ad uaſallũ. *Gou.*

b *Bart.* [b] *in l. alimenta. §. Imperatoris, numer. 2. ff. de libr. agnoſ. videtur tenere,quod ſic, prout etiam clarius tenuit in tract. ſuo alimentorum,nu.45. Contrariam autem opin. quod ſcilicet non teneatur eum alere, tenuit Iacob. Ardizo. in ſum. quib. mod. feud. amit. ſub Rubric. an vaſal. tenea. dominum egen. &c. Et hanc dicit eſſe communem Aluar. in cap. licet, num.6. ſi de feud. fue. controuerſ. quem refert Epiſcopus Loazes in alleg. pro Marchione Velez, fol.171. numer.29. Quam tamen ego ſi contingeret de facto, in duobus caſib. non ſequerer in iudicando. Primus eſt, quando dominus ex facto, aut culpa ipſius vaſalli ad inopiam perueniſſet, prout expreſſe ſentiunt Doctores in hac materia loquentes. Secundus, quando vaſallus ſuperabundaret diuitijs, & maxime, ſi diuitiæ prouenirent ex ipſa re feudali. Sed intellige, quod ad id cogi poteſt, non autem quod amittat feudum, ſi non fecerit.*

QVÆSTIO XXIV.

SVMMARIA.

Ex Claro.

1 *Vaſallus an teneatur liberare dominum è carcere.*
2 *Et quid ſi ſit iuſte carceratus.*

Ex Additionibus.

1 *Vaſallus an & quatenus dominum è carcere liberare cogatur.*
2 *Carcer mala manſio dicitur, & iniuriam atrocem infert.*
3 *Carcer ſpecies torturæ cenſetur, & libertatem aufert.*
4 *Vaſallus iniuriam à domino ſuo propulſare debet.*
5 *Si dominus iuſte eſt incarceratus, eum vaſallus liberare non compellitur.*
6 *Vaſallus debita domini exoluere regulariter non tenetur.*
7 *Filius pro patre conueniri nequit.*
8 *Qua in cauſa vaſallus dominum iuuare neceſſe habeat.*

ADDITIONES.

a AN teneatur vaſallus.] Hic vnum not.verbum tene menti, quod vaſallo non ſufficit abſtinere à malo, niſi faciat bonum pro domino,vt per Afflict.deciſ.265.num.45.& deciſ. 307.num.4. *Giach.*

An teneatur vaſallus dominum carceratũ car-
1 *cere liberare.*] Si † vaſallus ſciens dominum carcere incluſum,cũ potuerit,non liberauerit,feudo merito cadit,per textum apertum in tit.24.§.item ſi delator, lib.2.F.Carcer
2 ſiquidem † mala manſio, quæ æquiparatur morti, dicitur l. ſi hominem, 7. in princip. ff. depoſiti, l. nec timorem,7.§.1. verſ. timuit, & l. penult.ff. quod met. cauſ. l. item apud Labeonem, 15.§. quæſtionẽ, 41. verſ. quæſtionis verbo,ff.de iniur. Boſſius in pract. crim. tit. de carcere, num.1. & atrocem iniuriam infert, per
3 notata Alexandri conſ.17.num.5.vol.1. hac † torturæ quædã ſpecies cenſetur, per doctrinam Baldi in l.2.num.6. C.de Epiſcop. audient. Thomæ Grammatici conſ.66.num.4. Rolandi à Valle conſ.17.nu.21.vol.3. & Petri Frideri Mindani lib.1. de proceſſib. cap.47.nu.4.pagin.201. & denique libertatem, quæ res eſt inæſtimabilis, incarcerato adimit, l. libertas, 106.ff. de regul.iur.§. fin.verſ. ſed cum libertas. Inſtit.quib. ex cauſ.manumitt. non licet, l.2. ff. de libero homine exhib. l. Titio cen-
4 tum, 71.§.2.ff. de condit. & demonſtrat. Cum itaque vaſallus iniuriam domino ſuo propulſare debeat,& ad hoc nominatim iureiurando ſe adſtrinxerit, cap. vnic. de noua forma fidelit. tit.7. lib. 2. F. & dominus in carcerem compactus atroci iniuria afficiatur,vt paulo ante monitum: ſequitur, vaſallũ recte feudo priuari,ſi contra præſtitũ iuramentũ venerit, & dominũ è carcere,cũ potuerit,nõ liberarit.Ita tradũt Gloſſ.Beluiſ. Iſern. Aluarott. Præpoſit. Laudenſ. Rauen. Schenck, Balzaranus, & alij in d.tit. 24. §. item ſi delator,lib.2.F. Borcholt.in Commẽtar. in conſuetud. feud. capit. 8. nu.113. Intrigliol. centur. feudal. 1.quæſt.98. numer.144. cauſ.31. Schneidevvin.in tract. feud. part. 8. cap.1.num.76. cauſ.15. Schrader.in tract.feud. part.9. capit 8. num.6.Roſenthal.in tract. feud. capit. 10. concluſ.20.
5 num.9. alijque plurimi,per hunc cumulati. Quod † tamen Interpretes non male accipiunt de domino ſine ſua culpa incarcerato ex cauſa iniuſta. Etenim ſi iuſtam ob cauſam carcere incluſus ſit dominus, vel propter delictum, vel propter æris alieni magnitudinẽ: eum vaſallus ſua pecunia aut fideiuſſione
6 liberare cuſtodia minime tenetur. Tum † quia vaſallus debita domini exoluere regulariter non eſt obligatus; etiamſi his nõ ſolu-

QVÆST. XXIV.

a QVæro,an teneatur [a] vaſal-
1 lus dominum carceratum carcere liberare? Reſpon. quod ſi eſt carceratus pro debitis,nõ tenetur vaſallus eum liberare, niſi debita fuiſſent à domino contracta ex facto aut culpa ipſius vaſalli.Et hanc doctrinam *dicit eſſe cõmuniter receptam Zaſ. de feud.in 7.parte verſ.Si porro dominus. quẽ refert Epiſcopus Loazes in allegat. pro Marchio. Velez, fol.171.num. 29.Ceterum regula videtur eſſe in contrarium, per text. in cap. 1. §. item ſi delator, quæ fue. pri.cauſ.benef.amitt. quod ſcilicet,ſi non pecuniam,ſaltem*